

habes, cuperes. Non succurrit tibi, quamdiu circum Bactra haereas? dum illos subigis, Sogdiani bellare ceperunt. Bellum tibi ex victoria nascitur. Nam, ut major fortiorque sis, quam quisquam, tamen alienigenum dominum pati nemo vult. Transi modo Tanaim; scies, quam late pateant, nunquam tamen consequeris Scythas. Paupertas nostra velocior erit, quam exercitus tuus, qui praedam tot nationum vehit. Rursus, cum procul abesse nos credes, videbis in tuis castris. Eadem enim velocitate et sequimur et fugimus. Scytharum solitudines Graecis etiam proverbiiis audio eludi. At nos deserta et humano cultu vacua magis, quam urbes et opulentos agros, sequimur. Proinde fortunam tuam pressis manibus tene: lubrica est, nec invita teneri potest. Salubre consilium sequens, quam praesens tempus, ostendit melius. Impone felicitati tuae frenos; facilius illam reges. Nostri sine pedibus dicunt esse fortunam, quae manus et pinnas tantum habet. Cum manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non sinit. Denique, si deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere: si autem homo es, id quod es, semper esse te cogita. Stultum est eorum meminisse, propter quae tui oblivisceris. Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti. Nam et firmissima est inter pares amicitia; et videntur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. Quos viceris, amicos tibi esse, cave credas. Inter dominum et servum nulla amicitia est: etiam in pace belli tamen jura servantur. Jurando gratiam Scythas sancire, ne credideris: colendo fidem jurant. Graecorum ista cautio est, qui pacta consignant, et deos invocant: nos religionem in ipsa fide novimus. Qui non reverentur homines, fallunt deos. Nec tibi amico opus est, de cujus benevolentia dubites. Ceterum nos, et Asiae, et Europae custodes habebis. Bactra, nisi dividat Tanais, contingimus. Ultra Tanaim, usque ad Thraciam, colimus. Thraciae Macedoniam conjun-